

FUNDAMENTA PHILOSOPHICO-THEOLOGICA IURIS CANONICI SECUNDUM NICOLAUM CUSANUM

SUMMARIUM: Post considerationem rationum hermeneuticarum ad rectam intelligentiam theoriae iuridicae NICOLAI CUSANI necessariarum, notiones theoriae iuris auctoris examini subiciuntur. Ut categoriae principales huius theoriae identificari possunt: natura mixta humana, homo uti imago Dei, repraesentatio, consensus et corpus ut conceptus centralis ecclesiologiae. Visi notionibus reconstruitur systema cogitationis CUSANI de fundamentis iuris canonici. Principia iuris canonici apud CUSANUM sunt: Ecclesia est imago Dei, hierarchia et sacerdotium sunt philosophice et non tantummodo theologice necessaria, ius nititur receptione. His principiis adhibitis CUSANUS fontes et structuras praecipuas iuris Ecclesiae argumentatione historica iustificat reformationemque proponit. Ad modum conclusionis demonstratur theoriā CUSANI de fundamentis philosophico-theologicis iuris canonici notam visionis mundi non saecularizatae et simul aliquo modo sociologicae prae se ferre. Haec doctrina, licet defectibus non careat, connexionem organicam iuris Ecclesiae cum realitate supernaturali et cum cultura iuris civilis permittit.

Pro discussione hodierna de fundamentis philosophico-theologicis iuris canonici maxime iuvat theoriā illustrium theologorum hac de re examini subicere, praesertim eorum, qui propter problemata actualia suorum temporum huic quaestioni attentionem specialem dedicaverunt. In articulo praesenti responsionem quaerimus ad quaestiones sequentes: 1) Quaenam sunt affirmationes maioris momenti NICOLAI CUSANI relate ad foundationem iuris in Ecclesia? 2) Quaenam sunt relationes inter has affirmationes? 3)

Quid significat doctrina CUSANI pro investigationibus actualibus de theologia iuris canonici?

I. RATIONES HERMENEUTICAE AD RECTAM INTELLIGENTIAM THEORIAE IURIDICAE CUSANI

NICOLAUS CUSANUS (1401-1464) post studia in universitate Patavina peracta anno 1423 titulum *doctoris decretorum* consecutus est¹. In sua formatione canonica momentum speciale habebat hereditas scientifica FRANCISCI ZABARELLAE in schola Patavina conservata. Similiter iam a tempore suorum studiorum canonicorum in cogitationem iuridicam CUSANI influxum habebant auctores conciliaristae velut GUILIELMUS OCCAM, MARSILIUS PATAVINUS, CONRADUS DE GELNHAUSEN, HENRICUS LANGENSTEIN, PETRUS DE ALLIACO et THEODERICUS DE NIEHEIM. Item inde ab annis Patavinis CUSANUS cum Iuliano CESARINI necessitudinem personalem habuit².

Quoad fundamenta iuris canonici considerata sunt praesertim opera canonica — maxime in iuventute conscripta — CUSANI, ex quibus eminet «*De concordantia catholica*», per quod auctor partem notabilem in directione intellectuali Concilii Basileensis consecutus est. Eius scripta iuridica primum conciliarismum propugnant, postea vero reformationi sub

¹ Cf. N. GRASS, «Cusanus als Rechtshistoriker, Quellenkritiker und Jurist. Skizzen und Fragmente», in «Cusanus-Gedächtnisschrift», Hrsg. N. GRASS, Innsbruck-München 1970, 104-105; E. MEUTHEN, *Nikolaus von Kues. 1401-1464. Skizze einer Biographie* (Buchreihe der Cusanus-Gesellschaft 1), Münster 1964, 13.

² Cf. ex. gr. S. SANTINELLO, *Introduzione a Niccolò Cusano* (I filosofi 9), Bari 1971, 7.

moderamine Romani Pontificis peragenda inseruiunt. Sed etiam opera philosophica—iuridicis generatim posteriora — CUSANI elementa substantialia pro theoria iuris canonici continent. Etsi auctor scriptis philosophicis non Ecclesiam reformare conatur, directe tamen ad finem et rationem essendi Ecclesiae tendit: ad unionem cum Christo et per eum cum Deo et cum universo³.

Methodus scriptorum iuridicorum CUSANI substantialiter in hoc consistit: auctor orditur ab experientia ordinis distructae suae aetatis, postea ordinem necessarium velut structuram fundamentalem rerum illustrat, denique enuntiat propositionem ad ordinem idealem efficiendum⁴. Imago ordinis auctoris componitur ex variis elementis: e principiis theologicis, e doctrinis philosophicis traditionalibus, ex opinionibus, quae suo tempore receptae erant, sed rationaliter haud probari potuerunt.

Primum stratum suae theoriae iuridico-canonicae *principia traditionalia* constituunt, quae e Sacra Scriptura, ex aliis fontibus doctrinae christianae vel etiam e quibusdam textibus iuridicis sumuntur et pro cognitionibus theoriae iuridicae haud haberi possunt.

Secundum stratum constat e *reflexione philosophica*. Huiusmodi enuntiationes auctoris notam stricte rationalem prae se ferunt. Propositiones methodo scientiae historico-iuridicae sui temporis critice exa-

³ Cf. «*De docta ignorantia*» III, 12, ed. E. HOFFMAN-R. KLIBANSKY (*Nicolai de Cusa, Opera omnia*, iussu et auctoritate Academiae Litterarum Heidelbergensis I), Lipsiae 1932, 157-163.

⁴ Cf. PERNTHALER, «*Die Repräsentationslehre im Staatsdenken der Concordantia Catholica*», in «*Cusanus-Gedächtnisschrift*», Hrsg. N. GRASS, Innsbruck-München 1970, 53-56.

minantur. Immo in ipsa qualitate scientifica suae theoriae iuris manifestatur doctrina cognoscendi, quae nota moderna pollet: Homo absolutum cognoscere non potest, propterea scientiam nostram modo cognoscendi relativo, qui nobis unice patet, id est «contracte» perfectionem reddere debemus, veritatem absolutam semper «complicando et explicando» quaerentes⁵.

Tertium stratum est *comparatio imaginis ordinis et experientiae rerum sui temporis*. Fructus huius comparationis sunt consilia correctionis et emendationis. Sed huiusmodi consilia item in sua doctrina cognitionis nituntur. Ordo iuris et Imperii cognosci possunt, nunquam tamen sunt pure praesentes, sed munus hominum est eos semper constituere. Interea homo cognoscens ex propria experientia videt etiam ideam suam de ordine semper correctione indigere. Sic homo etiam sese ordinatorem putare debet. Praesertim in activitate artistica homo creator et Deo similis videtur, quia ex materia ut possibilitate realitatem actualem efformat⁶. Sed idem valet pro omnibus operibus animae humanae⁷. Attamen ars «*creativa, quam felix anima assequitur, non est ars illa per essentiam, quae Deus est, sed illius artis communicatio*

⁵ Cf. «*De docta ignorantia*» I, 3-4 = ed. (cit. nt. 3) 8-11; N. HENKE, *Der Abbildbegriff in der Erkenntnislehre des Nikolaus von Kues* (Buchreihe der Cusanus-Gesellschaft III), Münster 1969, 39.

⁶ Cf. P. SANDOR, *Nicolaus Cusanus*, Berlin-Budapest 1971, 124.

⁷ «*Et quod notionalia ut notionalia sunt ab anima hoc habent, quae est notionalium creatrix sicut Deus essentialium*» («*De ludo globi*», ed. L. GABRIEL, *Nikolaus von Kues, Philosophisch-theologische Schriften. Studien- und Jubiläumsausgabe. Lateinisch-deutsch*, I-III, Wien 1964-1967, III, 322).

et participatio»⁸. Ordo igitur creandus est, quia in statu possibilitatis invenitur. Principis autem est — propter suum officium ordinandi — «esse et posse»⁹. Ex hoc ministerio centrali possibilitatis sequitur quod auctor in hoc tertio gradu argumentationis observationes reflexione rationali obtentas experientiae efficacitatis historicae ordinis comparat¹⁰.

II. PRINCIPIA PHILOSOPHICO-THEOLOGICA IURIS CANONICI IUXTA CUSANUM

In fere omnibus notionibus philosophiae CUSANI inveniuntur tria strata sub aspectu hermeneutico supra enumerata. Attamen in suis operibus philosophicis — tempore plerumque posterioribus — elementa notionum a fontibus simpliciter recepta, reflexione theórica elaborata et de experientia deducta unitatem magis organicam constituunt, quam in suis scriptis iuridicis.

Docta ignorantia ut methodus generalis ab auctore ab anno 1440 iam in omnibus partibus veritatis cognoscendae adhibetur. Sub hoc aspectu etiam suae notiones et ideae considerandae sunt, quae fundamenta theórica remota iuris constituunt.

1. *Natura humana*

CUSANUS non erat «iusnaturalista» sensu moderno. In sua tamen visione mundi et societatis maximum momentum naturae humanae tribuit.

⁸ «*De ludo globi*», ed. (cit. nt. 7) 332.

⁹ Cf. «*De concordantia catholica*», III, 4 = ed. G. KALLEN (*Nicolai de Cusa, Opera omnia*, iussu et auctoritate Academiae Litterarum Heidelbergensis XIV, 1-4), Hamburgi 1959-1968, 348, nr. 332.

¹⁰ Cf. PERNTHALER, *Repräsentationslehre* (cit. nt. 4) 56-57.

In primis operibus CUSANI universum ex mundis *corporali et spirituali* constat. Homo ut utriusque particeps locum specialem occupat, quia in eo duo mundi inter se congregiuntur et alter alterum penetrat¹¹. Natura quidem hominis non est nec pure spiritualis nec pure materialis, sed *natura mixta*. Locus congressus duarum naturarum est anima inter spiritum et corpus in medio existens. In «*Concordantia catholica*» CUSANUS scribit: «*anima partim adhaeret corpori et partim spiritui et est medium, per quod spiritus influit in corpus*»¹². In hac constructione hominis CUSANUS imaginem Sanctissimae Trinitatis videt¹³.

«*Spiritus autem — inquit — est superior, nobilior et altior intellectualis personae Patris figuram repraesentans et corpus personam Filii et anima quasi utriusque naturam participans ab utroque procedens personam Spiritus*»¹⁴.

Postea ministerium mediatoris hominis CUSANUS etiam latius interpretatur. Natura humana ponte coniungit regiones absoluti et naturae finitae. Deus est *maximum simpliciter* cui nihil opponitur. Cum eo nihil

¹¹ Cf. *Sermo XVIII*, 20-22, ed. J. KOCH-H. TESKE, *Sitzungsberichte der Heidelberger Akademie der Wissenschaften, philosophisch-historische Klasse*, Jg. 1938-1939, 4. Abh. (Cusanus-Texte I, 6), Heidelberg 1940, 50.

¹² I, 6 = ed. (cit. nt. 9) 54, nr. 34.

¹³ Cf. «*De concordantia catholica*», I, 4 = ed. (cit. nt. 9) 45, nr. 23.

¹⁴ *Ibid.*; cf. AUGUSTINUS, *De fide et symbolo* 10 = PL 40, 193-194; CSEL 41, 28; H.G. SENER, *Die Philosophie des Nikolaus von Kues von dem Jahre 1440. Untersuchungen zur Entwicklung einer Philosophie in der Frühzeit des Nikolaus (1430-1440)* (Beiträge zur Geschichte der Philosophie und Theologie des Mittelalters, Neue Folge 3), Münster 1971, 29.

comparari potest, ipse est unitas absoluta¹⁵. Univer-
sum autem est *maximum contractum*. Non potest
tamen «*ascensus vel descensus in contractis esse ad
maximum vel minimum absolute*»¹⁶. Homo connectit
unitatem divinam cum pluralitate mundi:

«*Humanitatis igitur unitas cum humaniter contracta
existat, omnia secundum hanc contractionis naturam com-
plicare videtur. Ambit enim virtus unitatis eius universa
atque ipsa intra suae regionis terminos adeo coercet, ut nihil
omnium eius aufugiat potentiam [quoniam omnia] sensu aut
ratione aut intellectu [coniecturatur] attingi atque has virtu-
tes in sua unitate complicare, dum conspicit se et ad omnia
humaniter progredi posse supponit. Homo enim deus est,
sed non absolute, quoniam homo; humanus est igitur deus.
Homo etiam mundus est, sed non contracte omnia, quoniam
homo. Est igitur homo microcosmos aut humanus quidam
mundus. Regio igitur ipsa humanitatis Deum atque univer-
sum mundum humanali sua potentia ambit. Potest igitur
homo esse humanus deus [atque] deus humaniter; potest
esse humanus angelus, humana bestia... Intra enim humani-
tatis potentiam omnia suo existunt modo*»¹⁷.

Humanitas ut natura tantummodo in singulis
individuis concrete existit¹⁸, qui tamen necessario
inter se differunt. Propterea unus tantum homo unita-
tem cum maximo simpliciter attingere potest. Et hic
homo est *Christus*, mediator unicus. Ipse et per eum
etiam natura humana est culmen universi¹⁹.

«*Humanitas... in Christo Iesu omnes omnium homi-
num defectus adimplevit... Nam hoc agit maximitas huma-*

¹⁵ Cf. «*De docta ignorantia*» I, 5-6 = ed. (cit. nt. 3) 13; «*De
Deo abscondito*», ed. GABRIEL (cit. nt. 7) I, 304.

¹⁶ «*De docta ignorantia*» III, 1 = ed. (cit. nt. 3) 119.

¹⁷ «*De coniecturis*» II, 14 = ed. GABRIEL (cit. nt. 7) II, 158.
Cf. «*De docta ignorantia*» III, 3 = ed. (cit. nt. 3) 125-129.

¹⁸ «*De docta ignorantia*» III, 3 = ed. (cit. nt. 3) 127.

¹⁹ Cf. «*De docta ignorantia*» III, 6 = ed. (cit. nt. 3) 137-138.

nae naturae, ut in quolibet homine sibi per formatam fidem adhaerenti Christus sit ipse idem homo unione perfectissima»²⁰.

Homines autem Christo et per eum Deo accedentes non totaliter separatim sed coniunctim versus absolutum peregrinantur²¹. Tota humanitas autem, quae ex individuis vario modo perfectibus constat, velut etiam omnes aliae species, hierarchiam gradualem constituit²². Quam ob rem philosophia societatis in systemate CUSANI magni ponderis est. Societas enim locus specialis conveniendi est finiti et infiniti.

2. *Principium similitudinis et hierarchiae*

Iam in Libro Genesis (*Gen* 1,26-27; 9,6) legitur hominem ad imaginem et similitudinem Dei creatum esse. Conceptionem tamen CUSANI de principio similitudinis etiam, et quidem fortiter, hereditas philosophiae graecae formavit²³. Auctor enim noster theoriā ideae et simulacri tam in doctrina cognoscendi quam in ontologia applicat.

Secundum CUSANUM mens humana maxime in eo est simulacrum unius et simplicis ideae, id est Dei, quod et ipsa est creator similitudinum:

«Nam sicut Deus est creator entium realium et naturalium formarum, ita homo rationalium entium et formarum artificialium; quae non sunt nisi sui intellectus similitudines, sicut creaturae Dei divini intellectus similitudines»²⁴.

²⁰ *Ibid.*, 138.

²¹ Cf. SANDOR (cit. nt. 6) 85.

²² Cf. ex. gr. «*De docta ignorantia*» III, 1 = ed. (cit. nt. 3) 121-122.

²³ Cf. N. HENKE, *Der Abbildbegriff in der Erkenntnislehre des Nikolaus von Kues* (Buchreihe der Cusanus-Gesellschaft III), Münster 1969, 2-10.

²⁴ «*De beryllo*» VI = ed. GABRIEL (cit. nt. 7) III, 8.

Notandum est tamen quod apud CUSANUM omnia entia superiora aliquo sensu exemplo sunt inferioribus:

«... figura seu similitudine praecedentis altioris naturae disponitur inferior gradatim, quousque multiplicatio versus inferius et ignobilius ita in radio deficiat vitalis naturae, quod absque multiplicatione amplius quiescat in ultimo puncto... Et haec est graduatio ab infinito usque ad nihil, licet talis media graduatio a primo ordinata sit, nihil tamen esse potest per totam ipsam hierarchicam lineam, quod absque fontali principio a mediis constitui possit»²⁵.

Et sic pervenimus ad *ordinem hierarchicum* mundi, qui consideratur ut multitudo diversorum simulacrorum unius exemplaris. Haec theoria CUSANI necessitudinem cum hereditate antiqua, praesertim hellenistica²⁶, maxime autem neoplatonica demonstrat. Ex neoplatonicis enim — praecipue ex PRO-CLO — hauriebat PSEUDO-DIONYSIUS AREOPAGITA secundum quem ordo gradualis creaturarum imaginem Dei reddit. Hac idea dionysiana doctrina CUSANI expresse nititur²⁷. In ordine autem creationis gradualis descensus sese manifestat²⁸. Relatio inter exemplar et simulacra propter unitatem primi et unici veri exemplaris et propter functionem exemplarem secundariam altiorum graduum hierarchiae entium unitatem organicam variorum graduum efficit²⁹. Tale sy-

²⁵ «De concordantia catholica» I, 2 = ed. (cit. nt. 9) 34, nr. 9.

²⁶ De theoriis aeonum hellenismi vide W. WIELAND, «Aion», in «Historisches Wörterbuch der Philosophie», Hrsg. J. RITTER, I, Basel 1971, 117-119.

²⁷ Cf. «De divinis nominibus» XXX = ed. (cit. nt. 7) I, 138-142.

²⁸ Cf. «De concordantia catholica» I, 2 = ed. (cit. nt. 9) 33-36, nr. 9-12.

²⁹ Cf. *ibid.*, I, 2 = ed. (cit. nt. 9) 36, nr. 11.

stema effectuum est hierarchia in sensu stricto, id est sacra dominatio. Re quidem vera secundum CUSANUM creaturae altiores potestatem habent in inferiores³⁰.

Nota specialis hierarchiae est, quod diversi gradus harmonicum ordinem constituunt. «*Omnia enim — inquit — quae a Deo sunt, ordinata necessario sunt*»³¹. Hanc harmoniam demonstrant et efficiunt *combinatio* (vel in operibus posterioribus auctoris *proportio*) et *participatio* (vel postea *influentia*)³². *Combinatio* maxime relationem, *participatio* vero vim mutuam significat. *Ordo* autem ab iis determinatus momentum cardinale est theoriae CUSANI de societate.

Cum relatione exemplaris et simulacrorum connectitur *repraesentatio*, quae sub aspectu cognitionis inter exemplar et simulacrum conciliat. Verba res repraesentant et sunt earum signa, verbum autem Dei essentiam eius exprimit. Non est igitur tantummodo signum rei essentialiter diversae, sed adest quaedam aequalitas aut unitas substantialis inter repraesentantem et repraesentatum³³.

Notio autem repraesentationis maximum ministerium in doctrina CUSANI de iure habet. Exprimit

³⁰ Cf. *Sermo XIII* = ed. KOCH-TEŠKE (cit. nt. 11) 32-34.

³¹ «*De concordantia catholica*» III, 1 = ed. (cit. nt. 9) 327, nr. 293.

³² Pro terminologia primorum operum auctoris hac de re vide praesertim «*De concordantia catholica*», pro usu autem verborum in eius scriptis posterioribus vide «*De docta ignorantia*» II.

³³ Cf. SENER (cit. nt. 14) 94-95. De quaestione utrum apud CUSANUM distinctio realis inter repraesentatum et repraesentantem existat necne, vide controversiam auctorum modernorum, cf. SANTINELLO (cit. nt. 2) 18, nt. 10.

relationem inter superiores symbolicos et subditos necnon inter repraesentantem iuridicum et repraesentatos.

3. *Consensus*

Iuxta CUSANUM repraesentatio in sensu iuridico consensum supponit. Haec notio ex. gr. apud ULPIANUM significabat assensum ad ea quae aliqua conventio (pactum) continuit³⁴. CICERO autem expressiones graecas velut «symphonia», «syncatathesis», «homonioia» hoc verbo latine reddidit³⁵. Opinatur consensum omnium populorum criterium veritatis esse³⁶. Sic adnumerari potest lineae traditionis, quae a philosophia graeca vulgari, secundum quam omnes homines errare non possunt, per ARISTOTELEM et stoicos usque ad pragmatistas americanos et G.E. MOORE ducit³⁷.

Possibilitas consensus sequitur ex communi natura humana rationali, ex ratione (logos) communi in omnibus hominibus. Significatio specialis verbi consensus est harmonia, quae propositum politicum indicat, et quae apud CUSANUM plerumque *concordantia* nuncupatur. Hic sensus nititur maxime in notionibus *koinoniae* et *harmoniae* doctrinae PLATONIS de re publica³⁸.

Etiam in usu loquendi ecclesiastico una ex regulis verae fidei est *consensus ecclesiae*³⁹. S. AUGUSTINUS

³⁴ D. 2. 14. 1. 1-2.

³⁵ Cf. M. SUHR, «*Consensus omnium, consensus gentium*», in «*Historisches Wörterbuch*» (cit. nt. 26) I, 1031.

³⁶ Cf. *De div.* I, 11; I, 1; *Tusc.* I, 36 etc.

³⁷ Cf. SUHR (cit. nt. 35) 1031.

³⁸ Cf. SUHR (cit. nt. 35) 1032.

³⁹ Quoad formam classicam huius principii vide VINCENTIUS LERINENSIS, «*Commonitorium*», 2, 5.

autem momentum concordis doctrinae Sacrae Scripturae extollit praesertim in suo opere «*De consensu evangelistarum*»⁴⁰. In notione CUSANI de consensu haec omnia elementa consociantur. Quoad sensum politico-socialem huius conceptus notandum est, quod in eo auctor reflexionem ordinis harmonici universi in conscientia sociali videt. Haec conscientia et ipsa est creatrix ordinis societatis. Nemo hominum ab ordine adeo longe distare potest, quin eum saltem more consensus symbolici recipere posset⁴¹. Habet igitur fundamentum ontologicum postulatum, ut omnia quae hominem ut elementa ordinis socialis tangunt, ex consensu maioritatis fiant⁴². Hic consensus qui etiam iustam unitatem et sic similitudinem exemplaris divini in societate confirmat, exprimitur in principio: «*quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet*»⁴³. Hoc principium in «*De concordantia catholi-*

⁴⁰ PL 34, 1042-1230.

⁴¹ Cf. «*De concordantia catholica*» III, Prooemium = ed. (cit. nt. 9) 317: «*Et sic naturali quodam instinctu praesidentia sapientum et subiectio insipientum redacta ad concordiam existit per communes leges, quarum ipsi sapientes maxime auctores, conservatores et executores existunt, aliorum omnium ad hoc per voluntariam subiectionem concurrente assensu*».

⁴² Cf. «*De concordantia catholica*» III, Prooemium = ed. (cit. nt. 9) 318, nr. 276; III, 12 = *ibid.* 375-376, nr. 377 etc.

⁴³ *Ibid.*, III, Prooemium = ed. (cit. nt. 9) 318, nr. 276. De historia et significatione huius principii antiqui vide G. POST, «*A Romano-Canonical Maxim, "Quod Omnes Tangit" in Bracton*», in «*Traditio*» 4 (1946) 197-251; Y. CONGAR, «*Quod omnes tangit, ab omnibus tractari et approbari debet*», in «*Revue historique de droit français et étranger*», 4^e série 36 (1958) 210-259 (= *Id.*, *Droit ancien et structures ecclésiastiques* [Variorum Reprints, Collected studies series 159]. London 1982, nr. III); M. WATANABE, *The political ideas of Nicholas of Cusa with special reference to his De Concordantia catholica* (Travaux d'humanisme et renaissance 58), Genève 1963, 53.

ca» semel tantum expresse citatur, sed in forma *consensus communis* pro creatione normarum iuridicarum necessarii saepissime apparet⁴⁴. Etiam determinatio personarum alias repraesentantium in consensu fieri debet. Quaenam sit autem forma elaborationis et manifestationis huius consensus? Estne electio forma necessaria, an sufficit si repraesentati consensum posterius praebent per merum factum, quod non insurgunt? In «*De concordantia catholica*», praesertim in elucubrationibus, quae reflexione philosophica et rerum experientia nituntur, praevallet prima solutio, sed inveniuntur exempla etiam secundae solutionis⁴⁵. Hae tamen duae solutiones inter se non repugnant: consensus est fundamentum unitatis harmonicae societatis. Propterea pro recto sensu huius notionis auctor semper hunc habet, qui in statu rerum concreto, experientia docente unitatem efficit. Quando CUSANUS in Concilio Basileensi ad coetum Romano Pontifici faventium transiit, causa mutationis suae opinionis probabiliter experientia fuit, secundum

⁴⁴ Circa 90 vicibus, cf. «*De concordantia catholica*», Indices = ed. (cit. nt. 9) 509. Loci magnum momentum iuridicum habentes sunt ex. gr. *ibid.*, II, 11; 13; III, Prooemium = ed. (cit. nt. 9) 137-138; 158-160; 318; nr. 102; 124; 276 etc.

⁴⁵ Ex. gr. III, 26 = ed. (cit. nt. 9) 427-428, nr. 486, ubi auctor statum idealem Imperii sub OTTONE I sic describit: «*Regebatur autem imperium imperative, quoniam vox imperialis potentia et vigore armabatur... Lex sine coercionem censuram non habens vitam perdidit nec lex dici meretur... Tunc quidem vigeant leges et timebantur imperialia statuta*». Iuxta hoc enuntiatio principium ordinis et effectus legum magis in statutis imperialibus non insurgendo, quam in electione formali vel participatione in legislatione sese manifestasse videtur. Haud mirum est quod in hoc contextu etiam sese gerendi modus maioritatis principum electorum vel subditorum simplicium ordinem imperii destruere potest, cf. *ibid.*, III, 30 = ed. (cit. nt. 9) 435-436, nr. 500-503.

quam Concilium consensum omnium iam non exprimebat, sed in infinitum factionum certamen immersum est⁴⁶. Consensus igitur exigentia societatis fundamentalis videtur, quae in variis conditionibus concordiam sociale diversae amplitudinis et diversi ardoris significat. De apparitione consensus in legislatione infra sermo fiet (III. 3).

4. *Corporatio in Ecclesia et Imperio*

Corpus est symbolum centrale, quod apud CUSANUM Ecclesiam et Imperium eorumque relationem illustrat. Inter fontes — saltem indirectos — theoriae CUSANI de corpore inveniuntur doctrina PLATONIS de re publica⁴⁷, sed etiam ecclesiologia S. PAULI⁴⁸. In usu loquendi theologico, qui nitebatur in traditione Novi Testamenti, Ecclesia ut corpus Christi concepta a medio saeculo XII novo attributo ornatur, et sermo fit de corpore Christi *mystico*⁴⁹.

In «*De concordantia catholica*» ex unitate metaphysica fit unitas concreta Ecclesiae et status. Imperium apparet ut corpus Ecclesiae⁵⁰:

«*Praecipue ecclesiam Christi ex sacramentis, sacerdotio fidelibusque connexam, in qua unitate sacramenta ut spiri-*

⁴⁶ Cf. K. JASPERS, *Nikolaus Cusanus*, München 1968 (dtv 489), 182.

⁴⁷ Cf. *Politeia* II, 368e; IV, 433d. 441; V, 462; *Nomoi* III, 689. Notandum tamen est, quod res publica apud Platonem magis spiritui vel toto homini assimilatur, quam tantummodo corpori.

⁴⁸ Cf. 1 Cor. 12,12-13; Rom 12,3-8; vide etiam Eph 1,22-23; 6,29-30; Col 1,18 necnon Act 9,4 («*quid me persequeris*»).

⁴⁹ Cf. H. DE LUBAC, *Corpus mysticum. L'Eucharistie et l'Eglise au moyen âge. Etude historique* (Théologie III), Paris 1949, 115-117 etc.; WATANABE (cit. nt. 43) 62-64.

⁵⁰ Cf. SANTINELLO (cit. nt. 2) 23.

tus, sacerdotium ut anima ac ceteri fideles ut corpus ad unius Christi mysticum corpus compositionem concorditer constringuntur... De corpore quidem... sermo habendus nunc est, cuius gradualis hierarchica ordinatio in unum omnium principem ab infimo simplicium laicorum pedum typum gerentium per rectores, comites, marchiones, duces et reges usque in caesareum caput ex superioribus facile quisquam intelligere poterit»⁵¹.

Theoria igitur corporis est locus ubi anthropologia schema praebet ecclesiologiae et doctrinae CUSANI de societate⁵². Sicut in homine facultates ordinem hierarchicum constituunt, ita et in *corpore* societatis aut rei publicae christianae potestas superiorum ab eorum loco in corpore pendet⁵³. Unitatem autem harmonicam variorum ordinum in Ecclesia et statu *iustitia* sustinet⁵⁴. Sicut in homine spiritus sibi animam subicere debet et per animam corpus, ita in Ecclesia omnes secundum ordinem graduum Christi imperio oboedire debent⁵⁵. Potestas enim spiritualis a Deo proveniens per altiores gradus hierarchicos in populum fidelem sese extendit. Sed et potestas principum saecularium a Deo originem habet. Apud CUSANUM praevalet opinio a MARSILIO et GERSONIO nota, secundum quam haec potestas directe a Deo venit, quae affirmatio etiam argumentis historicis probatur⁵⁶.

CUSANUS enim expresse dicit: «...*imperialis celsi-*

⁵¹ III, 1 = ed. (cit. nt. 9) 327, nr. 292.

⁵² Cf. R. HAUBST, *Das Bild des Einen und Dreieinen Gottes in der Welt nach Nikolaus von Kues* (Trier Theologische Studien IV), Trier 1952, 145-146.

⁵³ Cf. PERNTHALER (cit. nt. 4) 59.

⁵⁴ Cf. *Sermo CCXXXIII* = ed. NICOLAUS DE CUSA, *Opera*, Parisiis 1514, II/1, 135-137.

⁵⁵ Cf. «*De concordantia catholica*» I, 4 = ed. (cit. nt. 9) 45-46, nr. 24-25.

⁵⁶ Cf. SANTINELLO (cit. nt. 2) 23.

tudo est independens quoad sui naturam... habens dependentiam immediatam a Deo»⁵⁷. Eodem tempore auctor subiungit originem potestatis repraesentantis in repraesentatis, id est in populo esse:

«...in populo omnes potestates tam spirituales in potentia latent quam etiam temporales et corporales, licet ad hoc, quod ipsa praesidentialis potestas in actu constituatur, necessario desuper concurrere habeat radius formativus, qui hanc constituat in esse, quoniam omnis potestas desursum est»⁵⁸.

Propterea in alio loco subiungit:

«Unde ex hoc fundamento superius saepe dicitur potestatem coactivam aut principis aut legis ex approbatione subiectorum per se aut ad hoc communi consensu tacito vel expresso constitutum robur habere. Sic enim dicitur: "Quamquam omnis potestas desursum" sit, sive coactiva sive oeconomica, regulativa et ordinativa, tamen ad hoc, ut ipsa extrinsece in actum prorumpere possit homines liberos Christianos regulando vel cogendo, tunc recta regula praerequirat subiectionem liberam eorum, cum ipsi ex lege fidei Christianae et naturali iure non arctarentur extra terminos libertatis»⁵⁹.

In hac formula et in similibus habemus exempla theoriae corporationis, quae potestatem extremo communitati inhaerere vult, et a decretalistis concepta — iuxta investigationes BRIAN TIERNEY⁶⁰ — propter ambiguitatem internam variis auctoribus ansam prae-buit doctrinas conciliaristas elaborandi⁶¹.

⁵⁷ Cf. «De concordantia catholica» III, 5 = ed. (cit. nt. 9) 353, nr. 340.

⁵⁸ *Ibid.*, II, 19 = ed. (cit. nt. 9) 205, nr. 168; cf. Rom 13, 1.

⁵⁹ *Ibid.*, II, 34 = ed. (cit. nt. 9) 303-304, nr. 261.

⁶⁰ *Foundations of the Conciliar Theory. The Contribution of the Medieval Canonists from Gratian to the Great Schism*, Cambridge 1955, 245.

⁶¹ *Ibid.*, 241.

Hoc principio nititur institutum electionis. Auctor noster in sua periodo conciliarista scribit: «*qui omnibus praeesse debet, ab omnibus eligatur*»⁶². Hoc enuntiatio citatur ab eo non ex *Decreto* GRATIANI (D. 66 c. 1), ubi tantummodo alia pars litterae ANICIO papae ascriptae, sed re vera falsae Pseudo-Isidorianae⁶³ invenitur. Quod autem in textu originali litterae Pseudo-Isidorianae de electione Metropolitum ab episcopis provinciae iuxta antiquam regulam Ecclesiae affirmatur, a CUSANO ut principium generale pro ordinatione relationum inter superiores et subditos adhibetur. Etiam alia argumenta a CUSANO allata⁶⁴ ad probandam necessitatem electionis superiorum a populo faciendae, variis vitiis laborant, praesertim quia auctor affirmationes pro quaestionibus particularibus conceptas universe valere vult⁶⁵.

⁶² «*De concordantia catholica*» II, 32 = ed. (cit. nt. 9) 276, nr. 233.

⁶³ Anic. 1 = ed. P. HINSCHIUS, *Decretales Pseudo-Isidorianae et Capitula Angilramni*, Lipsiae 1863 (repr. Aalen 1963), 120: «*Oportet autem ut ipse qui illis omnibus praeesse debet, ab omnibus eligatur et ordinetur*».

⁶⁴ «*De concordantia catholica*» II, 32 = ed. (cit. nt. 9) 278-280, nr. 234-237.

⁶⁵ Cf. ex. gr. C. 8 q. 1 c. 15 (HIERONYMUS citatur a GRATIANO pro ORIGENE), textus minus dicit quam CUSANUS, cf. ed. A.E. FRIEDBERG, *Corpus Iuris Canonici* I, Lipsiae 1879, 594, nt. 216; D. 21 c. 2 (Anacl. II, 24 = ed. HINSCHIUS [cit. nt. 63] 79); D. 62 c. 1 (littera non electionem a populo factam requirit, sed ad maximum aliam formam consensus, et sermonem facit tantummodo de electione episcopi «a clericis»; GRATIANUS autem in dicto adiungit solummodo: «*Nisi autem canonice electus fuerit, consecrari non debet*» [D. 62 Gr. p. c. 2]; cf. J. GAUDEMET-J. DUBOIS-A. DUVAL-J. CHAMPAGNE, *Les Elections dans l'Eglise Latine des origines aux XVI^e siècle*, Paris 1979, 135). Cf. H. MÜLLER, *Der Anteil der Laien an der Bischofswahl. Ein Beitrag zur Geschichte der Kanonistik von Gratian bis Gregor IX* (Kanonistische Studien und Texte 29), Amsterdam 1977, 17-18, 25-34, etc.

Attamen haud dici potest ideas repraesentationis metaphysicae et iuridicae inter se oppugnare. Etsi cum KARL JASPERS⁶⁶ observare possumus aliquam obscuritatem usus loquendi auctoris, praesertim in duplici significatione repraesentationis, nempe sensu metaphysico relationem inter exemplar et simulacrum exprimentis et sensu iuridico necessitudinem electorum cum electo indicantis, duo genera repraesentationis non ad idem subiectum sese referunt. Concilium Ecclesiam magis sensu iuridico, Romanus autem Pontifex magis sensu metaphysico repraesentare videtur, quia ut vicarius Christi primum eum et per eum Ecclesiam repraesentat. Ex duplici sensu repraesentationis intelligitur specialitas duplicis originis ipsius potestatis. CUSANUS duos fontes potestatis non aequali modo affirmat. Principum secundum quod «*omnis potestas desursum*» (cf. *Rom.* 13,1) est, a CUSANO ut auctoritas tradita citatur, et introducit per verbum «*dicitur*». Provenientiam potestatis a populo auctor alia — ut videtur minore — certitudine affirmat⁶⁷, argumentis non tantummodo theologicis, sed et aliis, ex. gr. ex ratione et iure naturali aut ex testimonio diversorum scriptorum et experientia sumptis utens⁶⁹. His argumentis nititur analogia in «*De concordantia catholica*» exposita inter matrimonialem consensum et consensum in societate, secundum quam:

⁶⁶ Nikolaus Cusanus (cit. nt. 46) 166-167.

⁶⁷ «*De concordantia catholica*» II, 34 = ed. (cit. nt. 9) 304, nr. 261.

⁶⁸ Auctor affirmata necessitate consensus ad vim obligatoriam legum adiungit: «*Nihil tamen de meis conceptibus adeo firmum assero, quin peritioribus non dicam potius acquiescendum*» («*De concordantia catholica*» II, 34 = ed. [cit. nt. 9] 306, nr. 265).

⁶⁹ *Ibid.*, II, 18; 19; 34; III, 6 = ed. (cit. nt. 9) 200-202; 205; 303-304; 357-359; nr. 164-165; 168; 261-262; 344-347 etc.

«...ut unum corpus in concordantia constituatur ex subiectis et praesidente, ratio et naturale ius simul et divinum exigunt in hac spiritali unione matrimoniali consensum mutuum, quem ex omnium electione et electi consensu deprehendimus⁷⁰.

Auctor adiungit etiam limitationes quoad originem potestatis a populo. Meram potestatem a populo proveniente ut materiam considerare videtur, cui forma desursum addenda est, ut realiter existat. Varia opera S. AUGUSTINI⁷¹ explicans CUSANUS enuntiat:

«Non quod potestas praesidentialis quae in praesidentibus est a populo ortum totaliter capiat, sed sicut praehabitu est superius, tunc sacerdotium, quod est ut anima in Ecclesia militanti — anima autem secundum eius motivam et sensitivam partem considerata educitur de potentia materiae, secundum autem rationalem eius partem considerata a Deo est —, sic sacerdotium capit ab inferiori populo fidelium illam praesidentialem motivam, vegetativam et sensitivam potestatem — quae potestas exit de potentia materiae subditorum per voluntariam subiectionem —, a Deo autem per sacramenta capit potestatem rationabilis animae, quae desursum venit⁷².

III. NOTA IURIS CANONICI PROBATI

Principia pro iure canonico fundamentalia plerumque in relatione cum absoluto considerata simul sunt ordinis philosophici et theologici.

⁷⁰ Cf. *ibid.*, II, 18 = ed. (cit. nt. 9) 200, nr. 164.

⁷¹ Cf. enumerationem in «*De concordantia catholica*» ed. (cit. nt. 9) 191-193, nt. ad. nr. 157.

⁷² «*De concordantia catholica*» II, 19 = ed. (cit. nt. 9) 204, nr. 167.

1. *Ecclesia ut imago Dei*

Exsistentiam Ecclesiae CUSANUS pro metaphysice necessaria habet. Natura humana cum absoluto, ut supra dictum est, iuxta suam doctrinam tantummodo in persona Christi, unius mediatoris coniungitur. Ad eum natura humana propius accedere debet, ut in natura divina maiorem partem habeat⁷³. Et maximi momenti est, ut homines ad Christum etiam conscienter semper magis adhaereant⁷⁴.

Et haec unio est Ecclesia «*sive congregatio multorum in uno... quodlibet in corpore uno, mediante quo cum quolibet unitur*»⁷⁵. Ecclesia autem ut unitas est Christus «*contracte*», sicut etiam mundus est «*maximum contractum*»⁷⁶. Sic «*murum*» — impedimentum logicum — coincidentiae oppositorum inter Deum et universum transgredientes ad rectam cognitionem pervenire possumus. Propterea etiam unio «*maxima hypostatica cum ipsa unione absoluta coincidit*», unio autem «*ecclesiastica coincidit cum hypostatica*»⁷⁷.

«*Et ita unio ecclesiae, quae est suppositorum cum illa, quae licet non videatur adeo una sicut hypostatica, quae est naturarum tantum, aut prima divina simplicissima, in qua nihil alienatis aut diversi existere potest, resolvitur tamen per Jesum in unionem divinam, a qua etiam ipsa initium habet*»⁷⁸.

Et haec est «non mediocris» analogia, qua etiam Concilium Vaticanum II in loco valde centrali (LG

⁷³ Cf. «*De concordantia catholica*» I, 5 = ed. (cit. nt. 9) 49, nr. 28; PERNTHALER (cit. nt. 4) 61.

⁷⁴ Cf. «*De concordantia catholica*» I, 2 = ed. (cit. nt. 9) 36, nr. 12; «*De docta ignorantia*» III, 12 = ed. (cit. nt. 3) 158-159.

⁷⁵ *Ibid.*, 158.

⁷⁶ Cf. *ibid.*, II, 4 = ed. (cit. nt. 3) 73.

⁷⁷ «*De docta ignorantia*» III, 12 = ed. (cit. nt. 3) 162.

⁷⁸ *Ibid.*, 162.

8a) utitur. Quod ergo CUSANUS in «*De concordantia catholica*» simpliciter in fundamento doctrinae de corpore mystico (vide supra II, 4) exponit, postea ut necessitatem metaphysicam illustrat: Ecclesia est insignis imago Dei et principalis locus congressus Dei et hominis. Ipsa ut corpus mysticum, saltem ex parte, nempe in Ecclesia militanti, species socialis sensibus subiecta esse debet. CUSANUS Ecclesiam conscienter ut talem examinat. In hoc sensu scribit: «*Aliud est iudicium humanum, in quo... iudicantur extrinseco humano iudicio regenerati in Christo esse, quousque ex opere aut signo extrinseco aliud constet*»⁷⁹.

2. *Necessitas sacerdotii*

Apud CUSANUM etiam principium theologicum necessitatis sacerdotii in Ecclesia aliquam notam metaphysicam habet. Idea dionysiana triplicae dispositionis hierarchiae mundi inter supposita sine speciali discrimine a CUSANO recepta invenitur. Extensio huius triplicae distributionis per gradus etiam in Ecclesiam fit apud nostrum auctorem — saltem in rebus singulis — similiter sine peculiari reflexione critica, quasi inconscienter⁸⁰. Nota quidem triadica universi accomodata est veritati etiam philosophice probabili, secundum quam imago Sanctissimae Trinitatis in mundo redditur. Sed ut trias sacramentorum, sacerdotii et populi fidelis accurata imago esset triadis coelestis Dei, angelorum et sanctorum, et quod sacramenta Deo, sacerdotium angelis, populus fidelis autem sanctis responderent, constituit etiam pro CUSA-

⁷⁹ «*De concordantia catholica*» I, 5 = ed. (cit. nt. 9) 50, nr. 29.

⁸⁰ Cf. *ibid.*, I, 6 = ed. (cit. nt. 9) 54, nr. 34.

NO tantummodo continuam translationem rhetoricam, quae in posterioribus argumentationibus nihil ponderis habet⁸¹. Attamen auctor ut methodo sapientiae entes in relatione ad absolutum scrutantis probatum affirmat sacerdotium in Ecclesia necessarium esse. Exponit enim hominem viatorem in Ecclesia militanti sacerdotio indigere, quod alios purificat, sed eodem tempore et ipsum purificatione eget⁸².

3. *Ius nititur receptione*

Receptio a communitate facta, et quidem usu eorum quibus lex data est, ut elementum necessarium verae legis (praeter promulgationem, quae ut actus constitutionis legis consideratur) in sensu conciliarismi exponitur iam a FRANCISCO ZABARELLA⁸³. Dictum GRATIANI secundum quod «*Leges instituuntur, cum promulgantur, firmanur, cum moribus utentium approbantur*» (D. 4 Gr. p. c. 3) a commentatoribus variis modis explicabatur⁸⁴. Interpretatio conciliarista

⁸¹ Cf. *ibid.*, I, 6 = ed. (cit. nt. 9) 53, nr. 32. Vide SANTINELLO (cit. nt. 2) 13-14: «queste corrispondenze... sono in funzione preparatoria di quanto egli dovrà sostenere nel seguito dell'opera: la struttura ideale della società degli enti ragionevoli in cielo ed in terra contrasta con l'attuale società terrena» (14).

⁸² Cf. *ibid.*

⁸³ Cf. TIERNEY, *Foundations* (cit. nt. 60) 220-237; W. ULLMANN, *The Origins of the Great Schism. A Study in fourteenth century ecclesiastical history*, London 1948, 191-231; M. SIEDLMAYER, «Besprechung von Brian Tierneys "Foundations of the Conciliar Theory"» in «Die Entwicklung des Konziliarismus. Werden und Nachwirken der konziliaren Idee», Hrsg. R. BAUMER (Wege der Forschung 279), Darmstadt 1976, 156-173.

⁸⁴ Cf. L. DE LUCA, «L'accettazione popolare della legge canonica nel pensiero di Graziano e dei suoi interpreti», in «*Studia Gratiana*» III, Bologna 1955, 193-276.

receptionis etiam apud CUSANUM notione corporationis seu theoria corporis nititur⁸⁵. Et hanc theoriam, ut supra (II, 4) diximus, auctor noster modo suo adoptavit.

Inserit quidem doctrinam receptionis in contextum ecclesiologiae suae theologice et philosophice profunde fundatae, argumenta historica et sententias canonistarum prae oculis habens⁸⁶. CUSANUS enim doctrinam ARCHIDIACONI et ANTONII DE BUTRIO de potestate legislativa («statuendi») Romani Pontificis allegans et complens observat: *«ad hoc, quod statutum suum [Romani Pontificis] liget, non sufficit quod sit publice promulgatum, sed oportet quod acceptetur et per usum approbetur»*⁸⁷.

Notandum tamen est, quod auctor varias formas receptionis pro necessaria habitae distinguere videtur, et quidem: 1) receptionem stricte dictam, quae fit per acceptationem — etsi tacitam⁸⁸ — et usum; 2) receptionem quasi praesumptam, quae consistere potest in facto quod decreta alicuius auctoritatis potestatem

⁸⁵ Cf. «*De concordantia catholica*» II, 34 = ed. (cit. nt. 9) 303-304, nr. 261: «*Oportet enim membra putrida et pedem abscindi et oculum scandalizantem ab ecclesia erui si corpus ecclesiae sanum debet conservari ... dicitur potestatem coactivam aut principis aut legis ex approbatione subiectorum... robur habere... recta regula praerequitur subiectionem liberam*».

⁸⁶ Cf. Y. CONGAR, «*La réception comme réalité ecclésiologique*», in «*Revue des sciences philosophique et théologique*» 56 (1972) 385-386 (= ID., *Droit ancien et structures ecclésiales* [Variorum Reprints, Collected studies series 159], London 1982, nr. XI).

⁸⁷ «*De concordantia catholica*» II, 11 = ed. (cit. nt. 9) 141, nr. 105.

⁸⁸ Cf. WATANABE (cit. nt. 43) 58: «*In actual practice, however, it seems that the unwise could only give a tacit consent to what the wise had decided*».

statuendi habentis canonibus synodaliter latis consentiunt: 3) receptionem abrogativam, quae in non usu constat et sic ius consuetudinarium contrarium introducit. Sic enim in «*De concordantia catholica*» loquitur:

«Et ideo nisi, quicumque ille fuerit, aut papa aut patriarcha, decreta secundum canones ecclesiasticos promulgaverit, non possunt illa statuta canones sive ecclesiastica statuta vocari, et nihil habent firmitatis cuiuscumque particularis statuti, nisi inquantum per acceptionem et usum seu consensum confirmantur seu canonibus consentiant... Non volo negare, quin ex virtute et potestate divina ac etiam praecepto, quo oboediendum est praepositis et quo subiecti esse debemus regibus, superiores statuendi et ordinandi secundum commissam curam habeant potestatem. Sed dico quod statutorum obligatorialis virtus cum hoc requirit consensum per usum et acceptionem»⁸⁹.

Potestas igitur legislativa Superioris alius generis esse videtur, quam necessitas consensus communitatis, quia haec necessitati promulgationis assimilatur et ad machinationem obligandi sese refert, illa vero effectum divinum, desursum provenientem et universum penetrantem repraesentat. Potestas legislativa tam in Ecclesia, quam in statu ordinis metaphysici est, necessitas vero consensus directe ad aspectum sociale spectat et solummodo remote ad naturam metaphysicam rerum. Secundum supra dicta theoria receptionis CUSANI ad formam Conciliaristam huius theoriae pertinet, quia consensum per se requirit ad vim obligatoriam legis, et quidem nulla voluntatis legislatoris ratione habita. In hoc puncto differt ab explicatione, quae provenire videtur a DOMINICO DE SANCTO GEMINIANO, secundum quam consensus communitatis

⁸⁹ II, 9 = ed. (cit. nt. 9) 137-138, nr. 101-102.

ex voluntate legislatoris requiritur ad vim obligatoriam legis, quia: «*Non... est verisimile quod princeps velit eos ligare... quia videtur statuere a principio sub tali conditione, scilicet si moribus utentium approbetur*»⁹⁰. Etsi CUSANUS iuvenis receptionem non hoc sensu, sed more conciliaristarum pro necessaria habet, sua theoria hac de re notam specialem prae se fert, quia — ut diximus — potestatem legislativam Superioris et consensum communitatis non eodem modo requirit.

In contextu doctrinae CUSANI elucubrationes de elementis legislationis ecclesiasticae applicari possunt etiam omnibus aliis «*positivis humanis constitutionibus*»⁹¹.

CONCLUSIO

Ex dictis apparet fundamenta philosophico-theologica iuris canonici apud CUSANUM unitatem organicam constituere. Et quidem propter communem originem Pseudo-Dionysianam principii cosmologici et ontologici hierarchiae et visionis anthropologicae tam in «*De concordantia catholica*», quam in scriptis philosophicis posterioribus, maxime in «*De*

⁹⁰ «*Super Decretorum volumine Commentaria*», ad D. 4 c. 3, ed. Venetiis 1578, fol. 10v; cf. CONGAR (cit. nt. 86) 388.

⁹¹ «*De concordantia catholica*» II, 10 = ed. (cit. nt. 9) 139, nr. 103; cf. WATANABE (cit. nt. 43) 57. Nota tamen, quod auctor haec verba CUSANI ut argumentum pro extensione principiorum pro iure canonico enuntiatorum ad omne ius humanum citat. Sed in contextu dictum CUSANI magis unam partem iuris Ecclesiae, nempe ius humanum ecclesiasticum a iure divino distinctum indicare videtur. Non obstante hac observatione valet, quod hoc principium CUSANI utrumque ius spectare potest, quia praecipue iure naturali nititur (WATANABE *ibid.*).

docta ignorantia» (cf. supra II, 1-2), theoria nostri auctoris in «*De concordantia catholica*» contenta, si aliqua elementa conciliarismo proprie dicto imbuta excipias, sub luce suae posterioris philosophiae iure meritoque consideratur.

Natura mixta humana, Christus homo ut mediator unicus, principium similitudinis et hierarchiae universi, societatis et Ecclesiae, repraesentatio et consensus in universo, in societate et in ipsa Ecclesia, nota corporis, quam suo modo res publica et praesertim Ecclesia prae se ferunt, sunt elementa ex quibus essentia et requisita iuris canonici sequuntur. Aspectus essentielles et requisita huius generis sunt: Ecclesia ut imago Dei, Ecclesiae unitas ut imago unionis hypostaticae, necessitas sacerdotii in hierarchia Ecclesiae ut ipsa suam vocationem imaginis Sanctissimae Trinitatis impleat, varia genera receptionis ad obligatorietatem normarum iuridicarum requisitae ut formae historice relativae consensus ontologice necessarii.

Ius apud CUSANUM videtur notio univoca. Ius Ecclesiae et rei publicae (melius Imperii) sunt duae species eiusdem generis, immo quasi duae partes eiusdem rei, quia Imperium tamquam corpus Ecclesiae consideratur⁹². Principia hierarchiae, consensus, receptionis pro utroque valent. Fons huius visionis utriusque iuris plus minusve omnibus auctoribus medii aevi propriae est consideratio theologica mundi, ex qua Ecclesiae et mundi organica connexio sequitur. Apud CUSANUM etiam mundus creatus et redemptus sacer est. Ipse ordo creationis iam incarnationem postulare videtur. Christus (simul Deus et homo) est

⁹² Vide librum III «*De concordantia catholica*», cf. WATANABE (cit. nt. 43) 68.

centrum universi. Attamen historia salutis, peccatum et redemptio in hoc contextu minus ministerium habere videntur. Visionem autem empiricam societatis tam in Ecclesia, quam in mundo auctor utique habet. Haec experientia scientifice ponderata sese manifestat ex. gr. in tractatione formarum repraesentationis et receptionis.

Doctrina CUSANI de fundamentis iuris canonici investigationibus hodiernis de loco theologico iuris canonici impulsum magni valoris praebere potest. Etsi hodie visionis theologicae ratio historiae salutis multo magis propria est, pro foundatione theologica iuris canonici necesse est, ut valor theologicus mundi creati, corporis et naturae humanae, immo sacralitas et unitas totius mundi, necnon effectus mediationis Christi et Ecclesiae in universo, etiam extra compaginem visibilem Ecclesiae prae oculis habeantur. Experientia societatis sine saecularizatione visionis mundi etiam hodie connexionem organicam iuris Ecclesiae cum realitate supernaturali et cum cultura iuris civilis permittit.

PÉTER ERDŐ